



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Qvintvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

QVARTVM.

Fide sumus iusti,
Fides est opus,
Ergo propter opera sumus iusti.

Respondeo ad maiorem.

MAIOR intelligatur correlatiue, Fide sumus iusti, id est, per misericordiam propter Christum sumus iusti: Non quia fides sit virtus, quae mereatur remissionem sua dignitate. Quod vero additur, fides est opus, concedendum est: Est enim opus, vt dilectio, patientia, castitas. Et vt haec sunt infirma & languida, ita Fides est admodum inbecilla, & concurrit multis dubitationibus. Quare non ideo dicitur iusti fide, quia tanta sit huius virtutis dignitas, vt mereatur remissionem: Sed quia oportet aliquid esse instrumentum in nobis, quo apprehendimus Mediatores pro nobis interpellantem, propter quem aeternus Pater est propitius.

QVINTVM.

Gratia sumus iusti,
Gratia est dilectio infusa cordi,
Ergo dilectione infusa sumus iusti,
Ad minorem respondendum est.

GRATIA proprie significat misericordiam gratuitam, seu acceptationem gratuitam propter Christum. Nam cum dicitur, Per gratiam habemus remissionem, si sic intelligas, propter donatas virtutes habemus remissionem, plane euerteret totam Pauli sententiam, & conscientijs adimes veram consolationem. Non enim nostras qualitates laudari debemus, cum angimur de remissione, sed confugere ad Mediatores. In hac ipsa lucta corda etiam Spiritu sancto iuantur, sicut Paulus inquit, Dedit Spiritum, in quo clamamus Abba Pater. Et dicitur in tali motu fidei dari Spiritum sanctum. Gal. 3. Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Quare cum illa acceptatione coniecta est donatio Spiritus sancti, neque tamen sequitur, nos propter illas novas virtutes habere reconciliationem.

SEXTVM.

Impossibile est nosse voluntatem Dei erga nos.
Credere quod sumus in gratia, est aliquid affirmare de voluntate Dei erga nos.
Ergo impossibile quiddam affirmare videmur, cum dicimus,
Credendum esse quod sumus in gratia.

RESPONDEO: Maior est vera, de voluntate non reuelata verbum Dei: Certum est autem in Euangelio, quod Filius Dei protulit